

Io. Passeratij.

PRÆFATIVNCVLA
IN DISPUTATIONEM
de Ridiculis, quæ est apud
Ciceronem in libro
secundo de
Oratore.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE.



LVTETIÆ,

Apud Mamertum Patissonium Typographum
Regium, In officina Roberti Stephani.

M. D. XCV.

25

13

1825



I O. P A S S E R A T I I
 P R A E F A T I V N C V L A I N
*disputationem de Ridiculis, quæ
 est apud Ciceronem in
 lib. II. de Oratore.*

STENTVM ingens Ne-
 ronis principatu factum
 narratur, cùm, in agro
 Marrucino, Vectij Mar-
 celli vniuersum oliuetum viam pu-
 blicam transgressum est: & contrà, è
 vestigio, in locum oliueti, arua suc-
 cesserunt. Magis verò stupendum
 apud nos, superiore lustro, prodi-
 gium accidit, cùm Hispania migra-
 uit in Galliam: & in media Parisio-
 rum ciuitate superbè inambulantiem
 Celtiberiam adspeximus. Tum qui-
 dem primùm, fateor, non absurdam

Io. Passeratij

iudicaui Cleanthis & Icetæ opinio-
nem, supera stare omnia, solam in
mundo terram moueri. Huc accede-
bat quòd pleraque huius regni op-
pida, sæuissimis agitata seditionum
procellis, & suis pænè conuulsa sedi-
bus, Symplegadam instar, inter se
concurrerāt: populique velut æstro
perciti, in mutuam præcipites fere-
bantur perniciem. Itaque, in ea re-
rum perturbatione ac vertigine, non
potui inducere animum, stare ter-
ram: aut audiendum esse Plinium,
qui negat Galliam quati terræ mo-
tu. Facio inuitus vt recorder ciuium
insanias, quas præstaret obliuione
sempiterna obruere: sed neque ci-
uium numero habendi sunt Catili-
næ, & Cethegi: neque facile est eam,
quæ altè insedit, doloris iniuriæq;
memoriam citò deponere. Quid
enim isti sceleris & amentia præter-

miserunt? In regem suum, & optimè de se meritum, perfidiosè coniuraverunt: concitata per vim multitudine, regia sua, solióque auito, quantum in ipsis fuit, immanissimè deturbarunt: coacto latronum exercitu, audacissimè oppugnarunt, ijs ducibus in quos peruagatus ille versus optimè convenit,

Εν τῷ διχοστασίῃ καὶ ἀφοκλείδης πολέμῳ χεῖ.
Ac tandem per cucullatum sicarium, emissarium suæ factionis, nefariè trucidarunt: carcerem in Senatum, Senatum in carcerem effuderunt: priuata publicis, imis summa miscuerunt: cunctaque diuina & humana iura violarunt. Præterea hominum forma indutæ (horresco referens) in ædibus sacris, ad homines verè sacros, concionatæ sunt Furia, & ad arma, cædes, incendia, ruinas, direptiones urbium, populationes

Io. Passeratij

agrorum, regionum vastitates, perditissimum quemque impulerunt. Ventum ad supremum erat: & iam infelici patriæ acerbum funus ducebatur: iam ad rogū, cui ciuilis flammæ subijciebātur faces, mæsti atratique liberi parentem prosequeremur; cū exortus HENRICVS quartus, vt alter Asclepiades, salutarem ei dexteram medicinamq. porrexit, & ab Orci faucibus ad vitam lucemque reuocauit. Hic nos patriæ, nobisque patriam restituit, si non rectissimè valentem & incolumem, spirantem certè, & melius in dies sperantem. Hic nobis lugubria detraxit, mærore lacrymasque absterfit, & communis incendij restinxit ignes. Hic à iugulis nostris paricidarum gladios, & à ceruicibus grauissimum externæ seruitutis iugum depulit. Absque illo esset, victrix

Prefatiuncula.

4

gentium Gallia, ijs indignissimè pa-
reret, quibus imperare cōsueuerat, &
*Impius hæc tã culta noualia miles habe-
Barbarus has segetes.* (ret,

Pro quibus meritis, quas tibi laudes
gratèsque persoluemus? quæ vindici
nostræ salutis & libertatis præmia
rependemus, - - ô quâ sol habitabiles
Illustrat oras, maxime Principum?

Quo nihil maius meliùsue terris

Fata donauere, bonique diui:

Nec dabunt, quãuis redeant in aurum

Tempora priscum.

Quos ego versus hoc libētius vsur-
po, quòdeos non tã de Augusto fu-
disse, quã de HENRICO III. multis,
antè sæculis, Camœnarum & Apol-
linis instinctu, cecinisse videtur Ho-
ratius. Difficilis, & lubricus admodũ
locus, cui nunc insisto: necdum pla-
nè constitui, vtrum tantus mihi rex
silendus, an dicendus fuerit. Silere de

Io. Passeratij

tot eius benefactis, ingrati animi crimen esset, quo nullum turpius, magisque fugiendum: de laudú eius, rerúmque gestarú magnitudine velle dicere, ingenij esset nimium confidentis: atque huc transferri possit, quod super *Æneide* sua scripsit ad Augustum Virgilius: Nemo ad hoc opus aggredietur, qui non laborare méris vitio existimetur. Frustra erit, & ludet operam profectò, quisquis cum tam insigni argumento paria facere volet, in quo expoliendo pro dignitate, ipsi deesset vis & facultas Demostheni, & Ciceroni suum eloquétix flumen exaresceret. Alexandrú istum vni Lysippo fingere, vniq; Apelli pingere conceditur: deterioris notæ artificibus fas non est cum suo cælo vel penicillo committere. Viri pudentis est id duntaxat oneris tollere quod sustinere & perferre queat:

Præfatiuncula.

5

queat; ac Timanthem imitari, ut quod dicendo consequi non possit, tectum inuolutumque taciturnitatis & silentij velo relinquat. Quamobrem mihi satis est Regiã maiestatem, tanquam aliquod numinis simulacrum, de via, aut à fani limine venerari; & libare tantum, non etiam sacrificare Genio Principis, præsertim cum aliò me vocet officij mei ratio. Proxima inuictissimo regi, & longo tamen interuallo proxima, salutanda est Academia, eorum more qui redeuntes peregre, vel in bello capti, & postliminiis reuersi, saluere iuebant terram patriam, deos penates, cognatos, propinquos, & quicquid ijs erat carissimum. Adfuius quidem corpore, coacti temporibus & necessitudine pænè fatali constricti: sed procul abfuius animo, voxque nostra obmutuit, quandiu hanc ho-

10. Passeratij

stes; partim à suis desertam, partim
proditam occuparunt, & è sacra pro-
fanam multis modis reddiderūt. Lu-
stranda igitur & expianda nūc Aca-
demia, Musisq; iterum dedicanda,
diligenti cautione adhibita ne am-
plius carū templa & ceremoniæ con-
taminentur. Id vt rectè fiat atque or-
dine, abigendæ sunt imprimis ob-
scœnæ volucres, quæ rapinis conta-
ctūque omnia fœdant immundo.

*Decolor est illis vultus, & ætèrrima Ventris
Proluies, vncaq; manus, & pallida sèper
Ora fame.*

Non agnoscitis volucres: agnoscite
sine plumis bipedes,

Curua quibus pullã subnectit fibula vestè:
Has Harpyias nisi Senatus & amplif-
simi ornatissimiq; viri, quibus Aca-
demiæ, scholæq; Regiæ instaurandæ
tradita est prouincia, fugarint & ex-
terminarint, vt pinnati Aquilonis

filij in fabulis, frustra littoralibus dijs
vota nuncupabimus: rursus ad eos
scopulos, ad quos nuper est fermè
adflicta, naus nostra referetur. Ne-
quicquam in excolendo Musarum
fundo sudabimus: nequicquam lo-
lium, carduos, lappas, & tribulos ex-
tirpabimus, nisi ex agro nostro hæc
filix radicitus euellitur. Meminisse
debemus quonam pacto profugi ho-
mines, nec minus vagi quam Scythæ,
noua gratuita doctrinæ professione
vulgò commendati, huc irrepserint,
& *ἀέκνητι θεῶν* in Academiæ parte
confederint: quibus artibus, inhian-
tes locupletum fortunis, diuites or-
bos, vel cælibes, deliros senes, super-
stitiosas mulierculas, & adolescentu-
los imperitos deceperint, & velut
Circæo poculo, repentè immuta-
rint: vt religionis specie, quàm inex-
plebili auaritiæ suisque fraudibus

Io. Passeratij

obtendunt, equum Troianum paulatim introduxerint: vt semper in insidijs manserint, & in speculis steterint, proditiōnis occasionem expectantes: vt ea oblata, machinam suam continuò aperuerint, armatisque hostibus hanc urbem, & totam Galliam omni genere calamitatis repleuerint. Ne verò insidias & paratam pestem caueremus, néue impendentia prospicientibus ac prædicentibus cordatis viris crederemus, obstiterunt Corcebi quidam atque Vcalegontes, qui plures in Illo nostro quàm Laocoontes fuerunt. Et hos adhuc habemus in sinu Sinones? *Quid hos, malum, fouemus, aut quid hi sciunt, Nisi vncta deuorare patrimonia?* At gratis docent. muta literulam, rem acu tetigeris, Gratis nocent: eoque maclandi maiore infortunio, quòd gratuitò sunt mali: quanquam

vix istuc sibi persuadebit qui eos bene nouerit. Testes honestissimæ amplissimæq; familiæ, quarum sanguinem pro leui docendi opella, & exiguo Mineruali, istæ hircines exorbuerunt. Testis immanis eorum census, qui cum Regum ac summorum Pontificum opibus certat. Præclara liberalitas, repudiare drachmam, vt talentum extorqueas! Mirum genus benignitatis, pro stipe menstrua, immensæ pecuniæ legata, opimâsque captare & rapere hæreditates! Institutio puerorum his aucupibus est illix. pendebunt pulchrè qui ab eâ transfenna turdi lumbricum petent. Gratuita doctrina illis est pro hamo, vel potius pro reti-iaculo, quo callidi piscatores cuncta conuerrunt cum puluisculo. Stolidi parentes qui suos ijs credunt liberos, eadem opera columbas accipitribus, pullos mil-

Io. Passeratij

uijs, & oues committent lupis. Sed quid tandem isti, per aureum funem de cælo delapsi magistri, discipulis suis tradūt? nihil sapere, ritus Hispanos, odium legum institutique patrij; &, vt priscis utar verbis, imbelliam, imbalnitiam, impolitiam, imparentiam, meramque cum Lauerne sacris barbariem: quam consultò huc inuexerunt, opinor, vt eam soli docerent. Interim delitescunt in vepretis nostris nitedulæ, quæ rem ciuium arrodunt: nobiscum impune versantur speculatores & exploratores Philippi, & eius tyrannidis acerri mi satellites. Atqui discuntur apud eos boni pudicique mores. Sanè tristes cùm aspicias, frugi censeas: nec tamen si fibulam gestant, sunt Hippolyti; nec si bonos auctores cui-rant, ideo bonis placent; Gallis præsertim quibus natura sunt inuisi De-

Præfatiuncula.

3

liaci. Magna laus est scilicet, ac palmarium facinus, ex hirco caprum, ex ariete veruicem, ac ex verre maialem facere. Atque utinam fabri patribus eorum, qua parte opus fuit, perpetuam imposuissent fibulam: recta hinc non deprauarent ingenia, dum curua corrigere videntur, nec Κρῆτες ἀεὶ ψῦσαι, καὶ θεία, suos edocerent artem mentiendi, & dolos, quos appellant industrios. Quid autem aliud præciperent vulpeculæ, si scholam aperirent? Sic amant verum hi Chamæleontes, polypi, ac stelliones. Huiusmodi doctrinam, & hos mores, nos illis non inuidemus: sibi habeant, abeantque simul cum strigibus ἀκοπέεις ἐπὶ νῆας: & illuc reuertantur vnde malum pedem huc attulerunt. Iam pridem vasa collegerunt: profectiois signum datur: quid morantur amplius? Academia

Io. Passeratij

nostra certè, quæ longum periculo-
sùmque morbum eorum contagio-
ne contraxit, nisi hoc leuetur vomitu,
vix vnquam conualescet. Reliquum
est vt de suscepti muneris ratione
pauca disseram: & cur potissimum
ad disputationem de Ridiculis
illustrandam aggrediar, breuiter
exponam. Principiò in vrbe, inuictissimi
regis virtute ac felicitate, modò
libera, liberè hoc eloquar: simul at-
que tutò mihi ridere licuit, ridere
libuit. quid facerem? inquit Arpinas
Attico, plorando fessus eram. Ves-
cantur betis fatui: viuant insulsi qui-
bus displicent sales: Ruri degant æta-
tem inter rastros & sarcula: inter ru-
bos sentésque, stolones ipsi, ac fruti-
ces, consenescant, quos non delectat
urbanitas. Si quis flere quàm ridere
mauult, per me licet: solas cæpas
prandeat, solum cœnet sinapi, so-
lùmque

lúmque fumum bibat: & ad tam bel-
lum conuiuium bellos homunculos,
amicos nostros, illos dico fibulatos,
quotidie inuitet: similes habebunt
labra lactucas. Cùm nobis risum vt
peculiarem natura dederit, huma-
num, & naturæ consentaneum puta-
mus, ridere potius quàm ringi, quod
canum est & asellorum. Risus autem
non solùm honesta & liberalis, sed
etiam sacra res est. Vt enim Vitulinæ
& Lubétix, Lætitiæ præsidibus, Ro-
mani diuinos honores decreuerunt:
sic Risum in deos retulerunt Græci,
diémque festum instituerunt, & an-
nuos ludos cum sollempnibus sacris
ei deo fecerunt: præcipuè Thessali,
& exijs Hypatenses, qui veneratione
cultúque γέλοτος θεός valde celebres &
insignes extiterunt. Lycurgus quo-
que, seuerissimæ ac rigidissimæ au-
ctor disciplinæ, Risus marmoreum


Io. Passeratij

simulacrum Spartaë in delubro posuit, sanxitque ut ciues sui, militiaë laboribus perfuncti, ei deo religiosè supplicarent. Nempe sapientissimus legislator æquum putauit & utile, sicut corpora quiete refici, ita & mentes hilaritate recreari. Quamobrem rideamus & iocemur, quod fiat bono modo: quando nos ab omni reprehensione & ritus Laconum, & Lycurgi tuetur auctoritas. Adstipulantur illis philosophi à Zenone, quibus non satis fuit eloquentiam appellare virtutem, nisi risus & urbanitatis facultatem eodem nomine decorassent. Risum sibi comitem, & ex eo iucundum cognomen Venus asciuit, quoniam sine Risu esset Venus inuenusta: ut & ipsæ, quæ Veneri ancillantur, sine Risu essent ingrataë Gratiaë. Ex animo nunquam is dolebit cui Risus erit propitius. Ac-

quus fuit Rîsus Democrito, Heraclito iniquus: vnde fata illorum contraria: & alterius perennes lacrymæ, alterius perpetui cachinni. Adfuit Rîsus nascenti Zoroastri, qui vnus mortalium risit quo genitus est die, futuræ incredibilis scientiæ felici præfagio. Rîsus ad dicendum necessarius, non vtilis modò, vel vt languentes excitet audientium animos, vel vt infensos deleniat, & conciliet auersos. Sæpe orator quæ negare non est, aut defendere, tempestiuo risu & cauillatione deflectit, ac aliò tramittit, coniectique in se teli vitat aut retundit aciem: quemadmodum bonus gladiator, parua quadam declinatione motúque corporis, aduersarij petitiones eludit. Rîsu sæpe obruuntur, vel eleuantur, quæ contentione frangi, refelliq; argumētis non poterant. Sic noster Tullius repetun-

Io. Passeratij Prefatiuncula.

darum reum, & haud dubiè fontem,
L. Flaccum, iudicio & poenæ legum
cripuit. Sic idè patronus L. Murenæ,
in manifesto ambitus crimine, salu-
tem dignitatemq; tutatus est. Quid
quòd in bello interdum plurimùm
valent risus & facetiæ? Iocatus in Gi-
sconem Annibal Romanorum mul-
titudine perterritù exercitum suum
confirmavit. Lacedæmonijs iratum
Regem Philippum vna falsè scripta
placavit literula: & qui milites in
tentorijs regem Pyrrhum probris la-
cerauerant, facetè translato in lagœ-
nam crimine, è periculo capitis, re-
giæq; iracundiæ flamma euolaue-
runt. Nimis longum esset singula id
genus persequi: Itaque finem facio,
quòd vereor in aurium vestrarum
fastidium incurrere, & quòd ista cras
melius ex ipso Cicerone audietis.



EX ADRIANI TURNEBI

EPISTOLA AD CAROL. LO-
tharingum Cardinalem, de Pro-
fessorum honorario, in lib.

Poem. ipsius, pag. 59.

*Quæ noua surrepit secta, & mentitur Iesum,
Dulce latrocinij prætendens nomen opertis,
Tartareis emissa vadis, spoliaria plebis
Instituit, speratque suos dicare latrones:
Iamque gregem pascit simulatio dira rapacem,
Semper inuncantem viduarum è viscere prædas,
Fallentem pueros & inertia pectora vulgi,
Veruecum in patria crassoque sub aëre nati.
O larvæ & lemures, vespertilionis habetis
Caligantis opes, & cæcæ pignora talpæ.
At nos, fallaces qui nec præstare sophistas
Possumus, aut volumus, populum nec depopulari
Sueuimus, aut fraudare: solo nec vendere cælum:
Qui rectum virtutis iter sine fraude docemus,
Præmia quæ ferimus? vix vt toleremur in vrbe,
Quam spoliat prædo togulam cui fibula nectis.*


AD SOTERICVM GRATIS
DOCENTEM.

TE gratis narras, Soterice, velle docere.
Vt gratis agat ergo tuo suadeto pa-
trono,
Qui vocē multo venalē venditat auro.
Procurator item facito tuus improbet aurum,
Summittatque genu nulla mercede redemptus.
Quinetiam sanctum, te quaeso, doceto senatum,
Ne petat à nostro statui sibi commoda rege,
Sportellásque dari. sed procurator opellam
Si vendit, si causidicus sua verba locare
Consuevit, si legitima mercede senator
Donatur, decus vt queat ordinis inde tueri:
Stoica que dicis credent paradoxa forenses.
Lucra aspernanti nemo tibi credet eorum.
Illa fori quaecumque vides subsellia, quæstus
Implet, & augustū magna emolumenta tribunal.
Quæ si quis tollat, fuerit mox Curia sola.
Te simulatorem, comœdūque esse putabunt,
Nec stipe contentum censebunt esse minuta,
Sed testamentis inhiare, lucrisque beatis:
Insidiatorem captatorémque loquentur,
Atque eleemosynas auertere pauperis, atque

*Amplas sectari prædas, contemnere paruas.
 Mallem equidem tibi grata foret mercedula parua
 Quàm congesta simul Claromontana talenta,
 Iudicio quæ ferre rapax conaris iniquo,
 Debita pauperibus, non nexæ ad guttura vesti.
 Sed pietas iam nota tua est, animusque benignus.
 Magna petis, qui parua fugis: pietatis auaræ
 Huius amore tuum pectus feruescit & ardet.
 Nemo velit quisquam causa stipis esse latronum
 In numero: maiora cupit, spoliare paratus,
 Et iugulare homines: quæis sit dare præmia præptus,
 Vt trahat in fraudem, spoliisque exinde fruatur.
 Exiguum sic tu pretium contemnere suetus
 Illicis ut iugules, fortunisque omnibus orbes:
 Euertasque bonis, exhæredesque propinquos,
 Et testatoris censu potiaris opimo,
 Cui curatorem Prætor dare debuit olim.
 Eia age nobiscum sic, quæso, paciscere: triplex
 Accipias pretium, legatæque cuncta relinquant,
 Abstineasque manus alieno & munera temnas.
 Verùm hoc Harpyiam certò scio nolle pacisci.
 Gratuitum iactare igitur nolito laborem,
 Quando in fortunas prædo grassaris opimas.
 Quid quòd cum soleas quartus quintusue docere,
 Fucorum ignauas pecudes præsepe saginat
 Mille quibus nec discendi, nec cura docendi?
 At nemo nostrum sese tolerare potis sit*

Mercede, ignavos nedum nutrire queamus.
Præterea quare affectas in ea urbe professor
Esse, professores alijs quæ mittere suenit?
Discipulos quæ vix tot habet, quot doctæ magi-
stros,
Ostendunt festis ut compita picta Kalendis?
Vnum assen quoniam discentibus ipse remittis,
Idcircone urbeis rodent pecuaria mandra
Ignavæ, Phariæque examina scæna locusta?
Quæsticulum iustum qui negligis, imputat idque
Civibus & regno, & prorsus se pernegat esse
Cuiquam oneri, nec habet fundatus censibus ullis,
Queis sese tueatur, opes, censore Catone
Exuvijs hominum & præda pascatur oportet.
Mercedem cur quæ debetur negligis, illam
Quæ non debetur tamen exigis? ede quid illi
Sint abs te docti, quorum bona prædo tulisti:
Quorum legatis nunc fortunatus abundas.
Hoc tibi propositum est, hæc mæs, cumulare bonorum
Congeriem, villas & prædia quærere multa,
Atque potestatem vitæque, necisque parare
In stupidum vulgus: quod tu cum feceris, hortos
Mox Epicureos segnisque, satirque petesses.
Grammaticosq; omnes, doctores, atque magistros
Discipulorum inter cathedras plorare iubebis.

IN EVNDEM.

*Acceptum gratis, gratis donare necesse est,
Lex, ais, hæc nostri certa sodalitiij est.
Si verum narras, aut da quod & accipis, aurum,
Aut quæ das alijs, nil nisi verba, cape.*

SCHOLA PARISIENSIS AD
supremam Curiam Parisiensem.

*Ille ego quæ magnos quondam tibi læta Catones
Protuli, & excelso semina digna foro.
Nunc etiam magno prolem generosa parenti
Cur non dem, quæris? fibula supposita est.
Fibula parva quidem, sed quæ si longius exit,
Obstabit facili scæna puerperio:
Iàmque ades, ô Lucina, tuæ succurre parenti,
Nec patere hanc tecum sic sine prole mori.*

AD P. IIII. P. M.

*Gaudebunt faciles iam certa prole mariti,
Nec genium læti fallere lusus erit.
Hoc tribuis Romane pater, dum lege severa
Iungitur ordinibus fibula casta tuis.*



HÆC QVOQVE VVLGATA
FVERVNT EODEM TEM-
pore quo illa Turnebi.

Discere qui gratis soliti, gratisque docere:
Aedificare domos, fucorum aluearia, gratis:
Iustitiæ sanctam gratis corrumpere dextram:
Edicta intrepidi contemnere regia gratis:
Testamenta senum captare & prædia gratis:
Pauperibus docti legata auertere gratis:
Qui populi mores turbatis & otia gratis:
Insidias struitis venientes munera gratis,
Cum tactæ nares lucri maioris odore:
Cantatis gratis, gratis plorare iubentes
Sedibus antiquis mira quos pellitis arte:
Fas quibus est gratis pueris orbare parentes:
Vos ego adoro lubens: ô seruatoris IESV
Felices socij, & fatui noua numina sæcli,
E nostro ut migrent cædes ac prælia regno,
Omnia qui facitis gratis, discedite gratis.

